

vel tales circumstantiæ, vi quarum ad inquisitionem specialem absque ulla infamia procedere possit, conformiter utili praxi n. 230 allegandæ.

196. *Rarissime, et vix unquam prærequiritur ad inquisitionem specialem probatio famæ.* — Infertur ex dictis, rarissime, et vix unquam necessariam esse præviam probationem infamiæ ad inquisitionem specialem; cum enim sæpe non requiratur, quando iudex procedit ex mero officio, nec si procedit ad instantiam partis testes denuntiantis, aut probationis media; alia autem denuntiatio judicialis raro vel nunquam fiat, arg. can. *Plerumque*, 27, cau. 2, quæst. 7, consequens est, eam vix unquam esse necessariam, ut proin merito credendum Claro § fin., quæst. 6, numer. 1, dicenti, se nunquam vidisse, fieri aliquem processum, qui inciperet ab informatione, seu probatione infamiæ; et alibi dicentem, infamationem, seu potius probationem ejus recessisse ab Aula.

197. *Si absque fama, et probatione ejus sit specialis inquisitio, casu quo fama et ejus probatio prærequiritur, valebit processus, nisi reus præsens reclamat.* — Cæterum quid sit fama et in quo differat a rumore, et quomodo probari possit, et debeat? vide lib. II, tit. XX, *de Testib. et attest.*, § XII, a 383, vide etiam praxin nostram criminalem tit. XIV, §. *de Fama et Infamia*, ac ibid. Ludov. de Ameno.

198. *De natura et probatione famæ. Remissive.* — Resp. IV. Si iudex etiam in casu, quo prærequiritur infamia, et probatio illius, sine hac instituit inquisitionem specialem, validus erit processus, si reus præsens non reclamet. Communis, et certa doctorum textu claro c. I et II, h. t., in 6. Dicitur tamen notanter, « si reus non reclamet, vel excipiat; » hoc enim si faceret in tali casu esset processus nullus, juxta communem arg. c. *Ad petitionem*, h. t., et c. I et II, h. t. in 6, a sensu contrario.

199. — *Superiores tenentur subinde ex justitia instituire inquisitionem tam generalem, quam specialem; et quando?* — Quæritur VI. An, et quando teneantur superiores instituire inquisitionem criminalem? Resp. omnino, et quidem ex justitia tenentur subinde superiores instituire inquisitionem criminalem seu judicialem. Communis ac certa. Patet inductione: sic in primis, quando certo constat de gravi delicto, v. g. homicidio, adulterio, falsa moneta, etc., et non constat

de delincente, tenetur superior servatis regulis prudentiæ, in locis, et apud personas generaliter inquirere, ubi putat, notitiam haberi, aut indicia ad manus dari posse.

Secundo tenetur specialem etiam inquisitionem instituire, quando quis judicialiter denuntiatur, juxta *Meta* n. 125.

Tertio tenetur etiam ex mero officio specialem instituire inquisitionem, quando de aliquo jam extat communis fama vel jam est notorium, quod reus sit certi alicujus gravis delicti et multo magis, si ipsum reum esse manifestum, aut notorium est. Ratio est, quia si de notoriis, manifestis, aut famosis delictis superiores ut iudices criminaliter non inquirerent, ad hoc, ut judicialiter cognita publice punirentur, in exemplum aliorum, plurimi videntes de delictis etiam publicis non inquiri, nec curari, scandalizentur et liberius peccarent, cum ingenti reipublicæ utriusque, ac privatorum, præjudicio et damno tam temporali, quam spirituali, ad quod avertendum superiores ex officio utique tenentur.

§ IV.

DE ALIIS REQUISITIS AD INQUISITIONEM SPECIALEM: PRÆSERTIM DE CORPORE DELICTI, DE CAPITULIS, ET ARTICULIS REO COMMUNICANDIS: ITEM DE ORDINE ILLIUS: AC NONNULLIS ALIIS HUC FACIENTIBUS.

200. *Ad specialem inquisitionem ulterius requiritur, ut a competente iudice fiat.* — Quæritur I. Quænam adhuc requirantur ad inquisitionem specialem criminalem? Resp. præter infamiam, et probationem ejus (quæ juxta dicta num. 196, raro aut vix unquam requiritur) requiruntur adhuc alia duo. Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut fiat a iudice competente, arg. *Rubr. et text. C. Si a non competente iudic.* et L. I. C. *Ubi de crimine agi oportet*. Quis autem sit iudex competens, vide lib. II, tit. II, præsertim § 3, ubi agitur de modo sortiendi forum ratione delicti. Defectu hujus requisiti inquisitio facta a iudice laico contra clericum est ipso jure nulla, c. *At si a clerico*, 4, *de Judiciis*, et c. *Si diligenter, de Foro competent.*

201. *Item, ut ante omnia constet de corpore delicti. Et quid sit hoc?* — II. Debet ante inquisitionem contra personam constare de corpore delicti, id est, debet constare, delictum

tum, ratione cujus inquisitio contra personam intenditur, esse revera commissum, ut proin ante omnem aliam informationem teneatur iudex inquirere de corpore delicti, seu facere constare, quod delictum (de quo est quæstio) fuerit commissum: v. g. non potest iudex inquirere, quis occiderit, nisi prius constet, homicidium revera esse commissum, juxta unanimem doctorum, l. I, § *Item*, 24, ff. *ad S. C. Syllan.*, ibi: « Item illud sciendum est, nisi constet aliquem esse occisum (item dic de aliis criminibus) non haberi de familia quæstionem, » etc., quod adeo verum est, ut processus sit ipso facto nullus, si ante omnem aliam inquisitionem prius legitime non constet de corpore delicti; etiamsi illud reus in processu sponte in confessus, quod diversis verbis etiam habet nostra praxis criminalis, tit. X, §. *Corpus delicti*, § 1, et ibi docet Ameno num. 2; Maranta, *de Ord. judic.*, p. 6, num. 17 et 18; Clarus, § fin., q. 4, num. 1. Passerinus, in *Tribun. regul.*, q. 20, num. 2 et alii communiter asserentes, corpus delicti, seu legitimam notitiam illius, esse fundamentum totius processus criminalis.

202. *Aliud est, et dicitur delictum facti permanentis, aliud facti transeuntis.* — Notandum autem, aliter debere iudici constare de corpore delicti, seu commisso delicto facti permanentis, aliter de commisso delicto facti transeuntis. Delictum facti permanentis dicitur, quod vestigia post se relinquit; cujusmodi delictum est incendium, homicidium, vulneratio, falsificatio monetæ, furtum cum effractione, etc. Delictum facti transeuntis est, quod nullum post se vestigium relinquit; ut blasphemia, injuriæ verbales, fornicatio, etc. Clarus, loc. cit. num. 4. Passerinus, *Tribun. regul.*, q. 19, n. 4, et criminalistæ communiter.

203. *Aliud debet constare de corpore delicti facti permanentis: et quomodo?* — Itaque de corpore delicti facti permanentis debet iudici certo ac liquido, per ocularem inspectionem constare. ita, ut si vel publica fama, vel ad instantiam partis movetur ad faciendum processum contra homicidam v. g. aut incendiarium, debeat ante omnem aliam informationem ipsemet accedere, vel notarium mittere ad cadaver occisi, aut ad ædes exustas, ibique in præsentia duorum testium oculariter inspicere, et videre, homicidium revera esse commissum; aut incendium revera esse factum, etc. Clarus,

cit. § fin. q. 4, num. 4, dicens ita tenere omnes: limitans tamen id in casu, quo etiam tale delictum esset occultatum, ut si cadaver occisi esset projectum in profluentem, falsa moneta esset abscondita, etc. tunc enim sufficeret, si de tali corpore delicti constaret per testes, qui homicidio interfuerunt, aut falsam monetam viderunt, etc. vel per alias conjecturas, præsumptiones, vel indicia, Clarus, loc. cit; Menochius, lib. I. *de Præsumpt.* 58, n. 2, cum communi.

204. *Aliter de delicto facti transeuntis, et quomodo?* — De corpore delicti, seu commisso delicto facti transeuntis autem sufficit, quod prius constet iudici per conjecturas, quæ probent, delictum esse commissum, Clarus, loc. cit. num. 3; Guazzin. *Reor. defens.* 4, cap. 2, n. 13; Farin. cum communi aliorum, quod totum etiam præscribit *Praxis criminalis* ordinis nostri, tit. X, §. *Corpus delicti*. Et licet circa dictam differentiam de corpore delicti, « Facti permanentis et transeuntis » clarus textus in jure non habeatur; tamen, quia est universalis consuetudo omnium tribunalium, inducit obligationem, ut bene observat Passerinus, arg. § *Constat autem*, 4, et § *Sine scripto*, 9. *Instit. de Jure natur.* ibi: « Sine scripto jus venit, quod usus approbavit; nam diuturni mores quos consensus utentium comprobavit legem imitantur. »

205. *Ad habendam notitiam de corpore delicti transeuntis non requiritur, ut specialis et distincta instituat indagatio.* — Porro quando agitur causa de corpore delicti transeuntis, et procedit iudex ad instantiam alterius, non est necesse, ut iudex prius distinctam inquisitionem instituat de corpore delicti, et postea aliam de reo; sed potest ita examinare testes, et capere informationes, quæ unico contextu probent, delictum esse commissum, et quidem a tali delincente, ut bene notat principalis criminalista Clarus, § fin. q. 9, n. 3, et expresse etiam habetur in nostra *Praxi criminali*, loc. cit., § 2. Debet tamen iudex inquirendo ita se gerere, ut prius constet, delictum esse commissum, quam quis deliquerit; quod si autem testes statim ipsum delinquentem denominent, per accidens erit, nec processum inficiet, ut ibid. habetur.

206. *Nec de necessitate notitiæ corporis delicti facti transeuntis est, ut fiat ocularis inspectio.* — Imo docet Ameno, et satis probat in praxi criminali loc. cit. § 1, n. 3 et 4,

quod, etsi obligatorium sit, et a iudicibus omnino observari debeat, ut, ubi fieri potest, de corpore delicti permanentis ante omnia hauriatur notitia per inspectionem ocularem, juxta dicta supra, tamen processus adhuc valeat, si omissa inspectione oculari alio modo hauriatur notitia de corpore delicti.

207. *Au inquisitionem specialem insuper requiritur, ut fiat reo presente.* — III. « Debet esse præsens (reus nempe) contra quem facienda est inquisitio; nisi contumaciter se absentaverit, » prout expresse statuitur c. *Qualiter*. 24, h. t. et docent ibi doctores. Advertit tamen Clarus, § fin. q. 11, n. 2, consuetudine introductum esse, quod etiam contra absentem non citatum de delicto inquiratur.

208. *Item ut reo tradantur capitula vel articuli, una cum depositione et nominibus testium, ac recipiantur ejusdem defensiones et exceptiones.* — IV. Debent reo tradi capitula, seu omne id, super quo, exigente fama, vel instantia partis fuit inquisitum; necnon cunctæ depositiones, seu dicta testium, et nomina eorum (non quidem ante, sed post examen ipsius rei juxta dicenda infra num. 408), ut sciens reus, quid a quovis contra ipsum, aut pro ipso depositum, aut propositum sit, facilius excipere, aut se defendere, suamque innocentiam ostendere valeat; prout etiam ipsius exceptiones ac defensiones a iudice recipiendæ, et audiendæ sunt, textu claro c. *Qualiter et quando* 24, h. t. ibi: « Exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum: et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, et a quo sit dictum, appareat, publicanda, necnon exceptiones, et replicationes legitimæ admittendæ, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionem vel exclusionem deponendi falsum audacia præbeat. »

209. *Apud regulares tamen nomina testium ordinarie non communicantur: nec apud sæculares, si inae testis præjudicium timere haberet.* — Advertit tamen Clarus, loc. cit., q. 49, n. 3; Barbosa, in c. fin. de *Heret.* n. 6 et 7, et alii ab eo citati, testium publicationem reo fieri non debere, si eis exinde grave immineret periculum, arg. cit. c. fin. de *Hæret.* in 6. Ratio est, quia alias multi testes se subtraherent, aut veritatem edicere timerent cum gravi præjudicio reipu-

blicæ. Hinc juxta dicenda infra a num. 321, in processu regularium nomina testium reo ordinarie non publicantur: quod expresse etiam cavetur in nostra *Praxi criminali*, tit. XX, §. *Patronus*. § 4, ibi: « Nomina accusatorum, et testium nullo modo reis publicanda sunt, nisi ubi, et quando, eorum (superiorum) iudicio in oppositione alicujus gravis infamatorii criminis justitia periclitaretur. » Cæterum eodem loco juri conformiter præcipitur, « ut reis processus copia ex integro, et gratis assignetur, nisi aliqua brevitatis causa relinquerentur, quæ ad defensionem non facerent: » ubi ad finem alia adhuc cautela præscribitur, quam ibi vide.

210. *Requiratur adhuc ut exprimat circumstantia delicti: et quomodo?* — V. Requiritur, ut inquisitio specialis contineat circumstantias delicti, speciem scilicet, locum, et tempus, annum saltem et mensem, quo delictum commissum est; prout supra § I, num. 8, de *Accusatione* dictum est, Clarus, loc. cit. q. 31, num. 11, allegans communem. Farinac., *Prax. crimin.* q. 1, n. 12, l. arg. *Libellorum*. 3. ff. de *Accusat.* can. fin. § *Libellorum*; cau. 2, q. 8. Et merito; quia ex tali circumstantiarum expressione reo subinde suppeditatur medium suam innocentiam ostendendi, et defendendi. Notat tamen Farinacius exactam hanc circumstantiarum expressionem necessariam non esse, quando crimen jam pridem contingit, ita ut verisimile sit, testes circumstantiarum non amplius recordari: Idem dic cum Tuscho, §. *Libellus*. conclus. 320, num. 32; Menoch., vol. 1., consil. 100, n. 91; Farinac. et alii, quando crimina habent tractum temporis, aut concubinitus, usuræ, hæresis, etc.

211. *Ordo quo fieri debet inquisitio specialis.* — Quæritur II. Quo ordine inquisitio specialis, et requisita ad eam fieri debeant? Et quid juris, si unum eorum omittatur, aut debitus ordo non servetur? Resp. Quamvis ex dictis jam satis pateat ad quæsitum, tamen pro faciliiori captu et praxi, id compendiose repetere, et hic apponere juvat. Sive ergo ex mero officio, sive ad instantiam partis procedat iudex. *Primo*, et ante omnia debet ei constare de corpore delicti juxta dicta num. 201. *Secundo*, si ex mero officio inquirat, debet informationem et probationem habere de fama, in casu, quo requiritur juxta num. 173. *Tertio*, debet citare reum, et postquam

examinavit illum, eidem proponere capitula, super quibus exigente fama, aut instantia partis fuit inquisitum, necnon depositiones testium juxta dicta num. 208. et dicenda num. 408, ut se defendere valeat. *Quarto*, debet reo subinde communicare etiam nomina testium, juxta dicenda a num. 321. Et *quinto* recipere, audire, ac examinare ejus exceptiones ac defensiones. Et hæc cuncta, ordoque eorum omnino necessaria sunt. Nam

212. *Si aliquid ad inquisitionem requisitum omittitur, et reus reclamet processus est nullus.* — Resp. II. Si unum prædictorum omittitur (salvis limitationibus in hoc et præced. § appositis) aut ordo eorum debitus non servaretur, et reus reclamaret, seu exciperet, et protestaretur, processus esset nullus. Communis, et certa, patetque ex c. *Ad petitionem*. 22, h. t. ibi: « Quamvis restituendus foret propter judicium ordinem non servatum » unde c. *Qualiter*. 17, h. t. dicitur: Quod inquisitores, si debitum non observaverunt ordinem, prudenter et caute se corrigere debeant; « ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur. » Hinc etiam conscientias eorum desuper onerat, et adhortando ulterius addit pontifex: « Non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut aliorum corrigatis errores, etc. Quoniam ex his, quæ inordinate sunt acta, non potest ordinabiliter agi. » Concordat c. 1 et 2, h. t. a sensu contrario. Hinc Fagnanus, in c. 24, h. t. n. 30, notat, quod si prius fieret inquisitio, et postea primum reo traderentur capitula, nihil ageretur, quia inverteretur ordo, arg. c. *Cum post petita*. 46, de *Elect.*

213. *Limitatur hoc in processu regularium.* — Limitatur tamen utraque conclusio in processu criminali regulari arg. c. *Qualiter*. 24, h. t. ad finem ibi: « Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum: » de quo specialiter infra § VII.

214. *Si autem non reclamatur, valebit processus.* — Resp. III. Si reus præsens non reclamet, valebit processus, etsi aliquid requisitorum omissum, aut ordo debitus servatus non sit. Rursus communis, et certa textu claro c. 1 et 2, h. t. in 6, ubi c. 2, ita habetur. « Si is, cui contra te simpliciter fuerat commissa inquisitio super certis criminibus faciendæ, processerit te præsente, nec reclamante, nec quidquam contra hoc

excipiente (infamiae inquisitione omissa) ad veritatem eorumdem criminum acquirendam: processum hujusmodi ex eo, quod non fuit de infamia prius inquisitum (idem dic de defectu alterius requisiti) ulterius impugnare nequibus » et ibi doctores.

215. *Postquam reus in iudicio crimen sine tortura est confessus, non amplius potest reclamare contra processum; etsi hic inordinate formatus sit.* — Resp. IV. Postquam reus crimen in iudicio sponte, et absque tortura confessus est, non amplius potest excipere contra processum, vel impugnare illum, sed valebit, etsi defectu ordinis, aut requisitorum alias defectuosus sit, Barbosa, in c. 1, h. t. in 6, et ibi Joan. Andreas, Mascard. de *Probat.* concl. 363, n. 34, cum Glossa, communiter recepta in dictum c. 1, h. t. in 6, §. *Confessus*, dictumque est, lib. II, tit. XVIII, de *Confessis*. n. 66, textu claro cit. c. 1, h. t. in 6, ibi: « Postquam coram eo, qui contra te super certis criminibus inquisitor fuerat deputatus, eadem crimina fuisti confessus, frustra confessionem tuam (quominus puniaris ex ea, prout justitia suadebit) eo prætextu impugnare intendis, quod super iisdem criminibus antea non fueras difamatus; vel quod per eundem inquisitorem capitula, super quibus contra te volebat inquirere, tibi tradita non fuerint. » Rationem ibidem dat Glossa illis verbis: « Quid enim quæremus de infamia vel capitulis, ex quo claret de crimine, » c. *Cum super*, 2, de *Confessis*. Jam enim notorium censetur crimen, c. fin. de *Cohabit. cleric. et mulier.*

216. *Nisi feret inquisitio nondum habita notitia de corpore delicti.* — Limitatur tamen conclusio in casu, quo fit inquisitio, antequam constet de corpore delicti, saltem per conjecturas, et indicia, juxta dicta supra n. 201, arg. l. 1, § 27, ff. de *Quest.*

217. *Deductio practica consolatoria inordinate procedentibus judiciis.* — Cæterum infertur, multis iudicibus præfatam conclusionem n. 215, positam pro singulari consolatione esse posse, dum considerant, suos quantumvis inordinatos processus criminales factos, amplius impugnari non posse ex eo, quod ex iisdem processibus id saltem constet, reos crimen suum confessos esse. Licet per hoc coram Deo excusati non sint, quod contra leges, et juris præscripta non sine injuria reorum tam inordinate processus forment.

218. *Inquisitio specialis quales habet effec-*

tus respectu inquisiti. — Quæritur III. Quales inquisitio specialis pariat effectus respectu rei, seu inquirendi aut inquisiti? Resp. I, eam imprimis producere eosdem effectus, quos accusatio, ac denuntiatio, ita ut pendente illa reus non possit promoveri ad honores, dignitates, beneficia, et ordines, etc. per jura, et doctores § præced. a num. 130 citatos.

219. *Inquisitus confessus, vel convictus de jure canonico potest extraordinaria, de consuetudine autem ordinaria juris pœna affici.* — Resp. II. Quamvis iudices de jure canonico possint reum per viam inquisitionis convictum, aut confessum condemnare ad pœnam extraordinariam, seu ordinariam « moderari secundum personæ merita, et qualitatem excessus, etc. nisi si tale crimen, quod ordinis executionem, aut retentionem beneficii etiam post peractam pœnitentiam impediret, » ut homicidium, simonia etc. prout expresse statuitur c. *Inquisitioni*, 21, h. t. tamen ad id non tenentur, sed possunt et exigente consuetudine solent reum ad ordinariam juris pœnam condemnare, etiam in foro ecclesiastico, præsertim ubi ob qualitatem delicti id exigit exemplum et terror aliorum. Quod non teneantur, patet ex textu cit. c. *Inquisitioni*, ubi Papa non dicit, *debet, vel tenetur*, sed *poterit judicantis discretio moderari pœnam*. Prout in c. *Cum super*, 2, de *Confess.*, n. 10, bene observat Abbas, et ibidem Gonzalez, n. 7, qui etiam in cit. c. *Inquisitioni*, h. t. n. 11. Post Anguianum, de *Legib.*, lib. II, cap. VI, num. fin. de communi consuetudine tribunalium ecclesiasticorum testatur.

220. *Quæ consuetudo confirmatur utroque jure.* — Et hæc consuetudo tanquam rationalis firmatur etiam c. fin. de *Celebrat.* ubi sacerdos etiam per viam inquisitionis processatus, ad pœnam ordinariam fuit condemnatus. Et a jure civili, vi ejus non tantum potest, sed etiam debet ad pœnam ordinariam condemnari per inquisitionem processatus; prout cum aliis docet Abbas, in cit. c. *Inquisitioni*, h. t. n. 8, et ibi Felin., n. 3, arg. l. *Ordo*, 8, ff. de *Public. judic.* l. *Qui sepulcra*, 4. C. de *Sepulcr. violat.* et l. *Abolitio*, 2. C. de *Abolitio*. ibi: « Inquisitione facta pœna competens, » id est, a jure statuta, seu ordinaria.

221. *An reus teneatur fateri veritatem? et an possit interrogari de sociis criminis? Remissive.* — Quæritur IV. An, et quando reus

in judicio interrogatus teneatur in conscientia fateri veritatem? Item, an possit interrogari de sociis criminis? et quid, si interrogatur? Resp. Ad primam partem hujus quæsitæ plene patere, lib. II, tit. XVIII, de *Confess.*, § VII, per totum: vide etiam dicta supra n. 142. Ad alteram partem quæsitæ patet eodem lib. II, tit. XVIII, de *Confess.*, a n. 96.

222. *Reo, dum interrogatur, potest et debet imponi juramentum de dicenda veritate; præsertim in ordine nostro.* — Quæritur V. An reo, dum in processu interrogatur, possit ac debeat imponi juramentum de dicenda veritate? Et quid, si dein perjurium committat? Resp. I. Ad primam partem affirmative, Bartolus in l. *Inter omnes*, § *Recte*, in fine ff. de *Furtis*. Qui teste teste Claro § fin., q. 45, n. 9, communiter ab omnibus in hoc approbatur, arg. c. *Qualiter*, 17, et c. *Cum dilecti*, 18, h. t. Confirmatur universali praxi tribunalium utriusque fori præsertim Italiæ: ita, ut licet Clarus, loc. cit., una cum aliis præsertim Theologis conquerantur contra hanc consuetudinem, utpote ansam et occasionem multorum perjuriarum, teste quotidiana experientia, fatetur tamen ipsemet Clarus, loc. cit., se non audere ab ista consuetudine recedere, nec debere alios iudices recedere ab illa. In ordine nostro res caret difficultate; quia *Praxis* nostra *criminalis*, quam sequi tenemur, dictum juramentum expresse præscribit. tit. XIX, §. *Reus*, § IV.

223. *Si dein falso respondet, non incurrit pœnas perjurii in foro externo; potest tamen propterea torqueri.* — Resp. II. Loquendo de jure communi, si reus deposito juramento de dicenda veritate falso deponit, in foro externo nullas propterea pœnas incurrit, sed a solo Deo punitur. Ita post Alexandrum docet Clarus, § fin., q. 45, nu. 10, asserens, in hoc neminem contradicere, arg. l. II, C. de *Rebus credit.* Addit tamen ibidem Clarus, sicut et q. 21, num. 39 (ubi communem allegat) quod si reus ad interrogationem iudicis falso respondisse convincitur, possit postea torqueri. Dicitur autem notanter, « loquendo de iure communi, » quia si alicubi quid aliud habent statuta municipalia, illis erit standum.

224. *Licitum est, reum blandis verbis, variisque modis et arte involvere ad fatendum veritatem.* — Quæritur VI. An liceat iudici blandis verbis, aliisque modis, remediis, vel arte involvere aut inducere reum ad fa-

tendum delictum? Resp. Affirmative; dummodo omne absit mendacium, aut falsa promissio impunitatis, levioris pœnæ, aut alterius gratiæ, Farinac., *Praxi criminali.*, p. 3, q. 81, num. 306, ubi etiam de se fatetur, quod blandis verbis sæpius adegerit reos ad fatendam veritatem, quam per torturam conclusionem practicandam etiam suadet Ludovicus de Ameno in *Practica sua criminali*. Et probatur ex III *Reg.*, ix et seqq., ubi Salomon ad cognoscendam veritatem ex materna affectione eruendam, simulavit dividi infantem: et c. 2, de *Præsumpt.* Ratio est, quia hujusmodi blanda verba, aut modi inducendi, si mendacio carent, et falsitate, neque dolum, neque fraudem involvunt; cum illis non utatur ad decipiendum, sed potius ad fraudem, et mendacium excludendum, arg. l. I, § 3, ff. de *Dolo malo*.

225. *Dummodo semper absit mendacium et falsitas.* — Dicitur tamen notanter, « dummodo omne semper absit mendacium, et falsa promissio, » etc., quia, cum istud contra legem naturalem, et divinam sit, nunquam licet, et in judicio, ubi summa veritas vigere debet, specialem iniquitatem continet. Unde etiam confessio, falsa spe aut promissione veritatis elicitæ non sufficit, ut reus ad pœnam ordinariam condemnari valeat, prout amplius dictum est, lib. II, tit. VIII, de *Confess.*, a n. 149, ubi vide.

226. *Qui tantum evangelice denuntiat, potest in processu esse testis.* — Quæritur VII. An in processu criminali testis esse possit denuntiator, et socius criminis? Resp. I. Qui denuntiat tantum evangelice, seu paterne bene potest esse testis, casu quo dein superior processum ex inquisitione, vel ad alterius instantiam instituit, Mascardus de *Probation.*, concl. 507, n. 12; Ameno, in *Praxi criminali.*, tit. IX, §. *Denuntiatio*, num. 37, cum communi aliorum, arg. c. *In omni*, 4, de *Testib.* Ratio est, quia talis non agit vices accusatoris, nec denuntiat, ut reus puniatur, sed ut paterne corrigatur; consequenter in processu præter intentionem suam postea instituto bene potest esse testis.

227. *Sicut etiam denuntians judicialiter ex officio.* — Resp. II. Denuntiator publicus, seu ex officio etiam judicialiter denuntians potest esse testis, Passerinus in *Tribunal. regul.*, q. 29, n. 6, cum communi, arg. c. *Præterea*, 7, de *Testib. cogend.* Ratio est, quia cum isti non voluntarie, sed necessarie, utpote ex officio obligati denuntiant, tan-

quam suspecti a testimonio ferendo non sunt repellendi; si alias omni exceptione majores existunt.

228. *Non item alius voluntarius denuntiator judicialis.* — Resp. III. Quicumque voluntarie facit denuntiationem judicialem, non potest in hac causa esse testis, Mascardus, de *Probat.*, concl. 507, num. 12; Passerinus, loc. cit.; Ameno, loc. cit. §. *Denuntiatio*, n. 22, cum communi, et certa aliorum. Ratio est, tum quia, qui judicialiter denuntiat, agit vices accusatoris, juxta sæpius dicta; nemo autem potest esse accusator simul, et testis, arg. c. *Foras*, 10, de *Verb. signif.*, can. *Testes*, cau. 4, q. 3; tum quia denuntiatores judiciales voluntarii censentur habere interesse in causa, hoc ipso, quod, nisi delictum probetur, subiaceant pœnis calumniæ, patianturque eorum æstimatio, etc. « Nullus autem idoneus testis in re sua intelligitur, » l. *Nullus*, ff. de *Testib.*, et amplius diximus, lib. II, tit. de *Testib.*, § 7, per totum.

229. *Bene vero denuntiator necessarius, id est urgente et obligante conscientia denuntians.* — Dicitur autem notanter in conclusione, qui « voluntarie facit denuntiationem judicialem; » quia, qui necessario eam facit, puta, sub peccato ad eam obligatus, ex charitate v. g. vel justitia, aliave virtute juxta dicta superius a num. 106, testis esse potest etiam regularis, juxta Passerinum, loc. cit., q. 29, num. 5, et expresse tenet Navarrus, cap. xxv, num. 33. Ratio est, quia, si quis sub peccato, consequenter sub pœna æterna adstrictus denuntiationem judicialem facit, æque ac denuntiatores ex officio necessarii dicuntur, ut loc. cit. observat Passerinus, ac proin non minus ac illi testes esse possunt: quidquid Passerinum impugnans dicit Ameno, tit. ultim., §. *Sententia*, num. 7, docens regulares omnes judicialiter denuntiantes, non nisi voluntarios esse, ex eo, quod nullo præcepto ad denuntiandum judicialiter astringantur; cum præceptum, visitationis tempore eis impositum, illos solum ad paterne denuntiandum obliget. Nam contra est: quod etsi regulares vi præcepti in visitatione impositi non obligentur denuntiare judicialiter, et consequenter necessarii denuntiatores judiciales non sint, obligantur tamen ad eam alio, charitatis præsertim præcepto juxta dicta supra num. 106. Et consequenter necessarii delatores sunt.

230. *Deductio practica.* — Infertur proin: posse etiam iudicem regularem in casu, quo

religiosus aliquis omni exceptione major, de quo nulla potest, esse suspicio, urgente conscientia quemdam judicialiter, denuntiat, eundem pro vero teste citare et examinare; præsertim si alias præter illum unus tantum testis, vel alia semiplena probatio adesset; consequenter sine ipso plena probatio haberi non posset. Quamvis in hoc casu etiam aliam via finis obtineri valeret; si videlicet cognoscens delictum, illud tantum paterne denuntiaret, simul tamen superiori talia indicia suggereret, vi quorum ipse ex officio inquirere, et paterne denuntiationem pro teste citare, et examinare posset; vel si cuiusdam alteri suaderet, ut judicialiter denuntiaret, quatenus dein ipse testis esse posset, quod nullo jure prohibitum videtur, si fraus et dolus, passio, et mala collusio abest; ac non nisi ex charitate et zelo religionis, hujus aut illius delinquentis bonum urgente conscientia intenditur: secus enim testem agere utique non posset alterum dolose instigans, utpote merito suspectus, et omni exceptione major non existens. Et in hoc sensu, non autem universaliter accipienda vel sequenda est doctrina Ameno, loc. cit., n. 69 et 70. Cæterum num ex charitate et zelo, an vero ex iniqua fraude tertius aliquis fuerit ad judicialiter denuntiandum persuasus, ex circumstantiis personarum facile prudens superior colliget.

231. *Socius criminis non potest esse testis.* — Resp. IV. Socii criminis non possunt esse testes. Communis et certa, claris juribus c. *Personas*, 20, de *Testib.*, c. 1, de *Confess.* 1. *Quoniam*, 44, de *Testib.*, cum concordant. Ratio est, quia hoc ipso, quod quis sit socius criminis, criminis, sicque ad testificandum inhabilis censetur.

232. *Limitatur hoc pluribus in casibus. Remissive.* — Limitatur tamen conclusio I. In criminibus exceptis. II. In criminibus, quæ ex natura sua socium requirunt. III. Si adsint alia indicia, et adminicula, prout amplius dictum est lib. II, tit. XVIII, § 4, vide etiam Ameno, tit. XV, §. *Testes*, n. 52 et 53.

§ V.

DE EXCEPTIONIBUS: UBI ETIAM DE CRIMINIBUS SINE ORDINE PUNIENDIS, NOTORIIS NEMPE, AC ILLIS, QUÆ IN FLAGRANTI DEPREHENDUNTUR.

233. *Ratio continuationis et ordinis.* — Postquam ordinarios tres modos, mediantibus

quibus crimina, et criminosi in iudicium deducuntur, et ibidem judicantur, et puniuntur, hactenus examinavimus: restant duo extraordinarii modi. eadem crimina in iudicium deducendi. « Exceptio nempe, et modus crimina quædam puniendi non servato juris ordine. »

234. *Exceptio quid?* — Quæritur I. Quid sit *exceptio*? Resp. I. Quamvis *exceptio* ut sic sit, et dicatur actionis, vel intentionis exclusio, prout late patet ex dictis, lib. II, tit. XXVI, de *Exceptionibus*; tamen ad propositum melius describitur dicendo: *Exceptio* est criminis, vel alterius oppositio a reo facta ad hoc, ut iudicem ab officio aut jurisdictione, vel accusatorem ab accusatione, denuntiatorem a denuntiatione, testem a ferendo testimonio, etc., repellat, aut impediat, vel etiam ut publicam vindictam subeat is, cui crimen oppositum est. Descriptio hæc majoris claritatis gratia, longior quidem, sed in re communis est, uti videre est apud Clarum, § final., q. 19, n. 2.

235. *Potest fieri civiliter.* — R. II. *Exceptio* potest dupliciter fieri, civiliter nempe, et criminaliter. Civiliter fit, quando reus crimen, vel quid aliud præcise ideo opponit, aut objicit, ut iudicem ab exercenda in se jurisdictione, accusatorem ab accusando, etc. repellat, aut impediat, non vero ut talis, contra quem excipitur, ob crimen oppositum puniatur, sic civiliter excipit reus, si v. g. dicit: « Hic iudex est de facto suspensus ab officio, hinc contra illum excipio, » vel, « excipio ac protestor contra hunc accusatorem, vel denuntiatorem, quia est v. g. meus capitalis inimicus, vel criminis, etc., ac propterea incapax ad accusandum, vel denuntiandum; » vel, « hic testis est meus capitalis inimicus, quapropter contra eum excipio, vel protestor; » vel « crimen, de quo fui accusatus, denuntiatus, etc., jam pridem est præscriptum, hinc excipio et protestor contra totum processum. » De exceptione civiliter intentata ample diximus, lib. II, tit. XXVI, de *exceptionibus*, per totum, ubi vide.

236. *Vel criminaliter.* — Criminaliter fit *exceptio*, quando crimen opponitur non tantum, ut criminis repellatur, aut impediat, ut supra, sed etiam ut pro vindicta publica, poena jure statuta eidem per sententiam infligatur; Clar., loc. cit., cum communi aliorum.

237. *Si tantum civiliter fit exceptio, non potest iudex punire illum, contra quem facta*

est exceptio, opponendo ei grave, vel verum crimen. — Resp. III. Si reus civiliter tantum excipit, non potest iudex illum, cui crimen a reo opponitur, propterea punire, etsi crimen probaverit reus opponens (nisi alium processum instituat) sed debet statim in eodem adhuc processu ex probationibus rei, vel alias cognoscere, et judicare, an *exceptio* illius sit justa, et legitima: si justam agnoscit, debet eam per sententiam interlocutoriam admittere, et ei conformiter juxta intentionem rei excipientis se habere: si vero injustam, aut frustratoriam deprehendit, illam rejicere, eaque non obstante in processu pergere. Clarus, loc. cit. Barbosa, in c. *Cum dilectus*, 2. de *Ordin. cognit.* num. 5; Pirhing, h. t. n. 130, cum communi, arg. cit. c. *Cum dilectus*, 2. § *Verum de Ordin. cognit.* Ratio est, quia iudex debet se accommodare intentioni et fini agentis, formæque libelli ab illo propositæ, arg. c. *Qualiter*, 24, h. t. et c. *Licet*, 30, de *Simoniam*, ibi: « Ut juxta iudicii formam sententia quoque dictetur. » ergo.

238. *Nisi alium processum instituat prout bene potest.* — Dicitur autem notanter: « Nisi alium processum instituat; » quia talis civiliter facta *exceptio* bene potest iudici aperire viam, ut ex officio novum inquisitionis processum instituat contra illum, contra quem *exceptio* facta est, si nempe ex probationibus, aut indicis appareat, crimen objectum revera fuisse commissum, aut si fama de eo volet, prout bene advertunt doctores citati.

239. *Si exceptio criminaliter intentatur, inducit naturam accusationis, et ejus condiciones requirit.* — Resp. IV. Quando Reus criminaliter excipit, assumit *exceptio* naturam accusationis, arg. 1. *Si cui*, 7, ff. de *Accusat.*, debetque propterea condiciones ad accusationem requisitas habere, v. g. speciem, locum, et tempus delicti exprimere, et alia continere, quæ supra a n. 6, sunt recensita, arg. 1. *Libellorum*, 3, ff. de *Accusat.* Hinc etiam ille, contra quem excipitur, non tantum a facta jam accusatione v. g. denuntiatione, ferendo testimonio removeatur, sed etiam vindictam publicam per statutas juris penas sustinere debet, si excipiens crimen objectum probat, vel absolvi, et e contra excipiens poena talionis puniri debet uti accusator, si in probatione deficiat, Clarus, loc. cit. cum communi aliorum, arg. cit. *Si cui*, ff. de *Accusat.*

240. *De reliqua materia exceptionis. Remissive.* — Reliqua de exceptionibus vide cit. lib. II, tit. XXVI, de *Except.* per totum.

Circa alteram paragraphi partem notandum prius duo esse genera delictorum, quæ puniri possunt non servato juris ordine, alias ad processum criminalem requisito; videlicet *crimina notoria*, et *crimina in flagranti* deprehensa. Pro quorum majori intelligentia.

241. *Occultum aliud est proprie tale, puniaturque a solo Deo.* — Quæritur II. Quid sit occultum, et quid publicum, prout occulto opponitur? Item quid manifestum, et quid notorium? ac in quo differant? Resp. I. Quamvis varie sumatur occultum, præcipue tamen dupliciter quid est, et dicitur occultum; videlicet proprie, et pene tale. Occultum proprie dicitur illud, quod nulla ratione probari potest. Joan. Andreas, in c. *Vestra*, de *Cohabitat. clericor. et mulier.* num. 12; et ibi Ancharanus, n. 14; Abbas, n. 10; Fagnanus, n. 43, dicens nullum discrepare, arg. c. *Ut Ecclesiast. beneficia*. Et de his occultis soli Deo relinquitur iudicium, can. *Erubescant*, 11, dist. 32, ibi: « Secretorum est cognitor Deus, et iudex, » juncto can. *Consulisti*, 20, §. *Spontanea*, cau. 2, q. 5, cum concordant.

242. *Aliud pene tale, et quod?* — Pene, vel quasi occultum est; quod probari quidem potest, non tamen a multis, sed tantum a paucis, v. g. a duobus, tribus, vel etiam quinque scitur; nam secretum adhuc dicitur etiam illud, quod in præsentia quinque personarum dicitur, can. *Quis aliquando*, 87, de *Pœnitent.*, dist. 1, § *Hæc ergo secreta*, §. *Filiam archisynagogi*, et notat ibi Glossa, §. *Secreta*, observans « esse secreta, quæ fiunt sub præsentia quinque personarum; » intellige, quandiu ad iudicium non deferuntur, seu judicialiter non discutuntur, nec plus manifesta fiunt, ut bene observat Fagnanus, loc. cit. et alii ab eo citati, arg. c. *Vestra*, 7, de *Cohabitat. clericor. et mulier.* ibi: « Aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur, etc., utpote ad iudicium nondum deductum, nec habet operis evidentiam. » Dicitur autem pene occultum; hoc ipso enim, quod probari, et manifestum fieri possit, non amplius proprie occultum, sed jam aliquo modo publicum est, et dicitur; prout statim patebit.

243. *Publicum quid, et quotuplex?* — Resp. II. Publicum multipliciter sumitur,